



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opervm ...

Agobardus <Lugdunensis>

Parisiis, 1666

Stephani Balvzii Tvtelensis Praefatio Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14657



STEPHANI BALVZII

T V T E L E N S I S

PRÆFATIO AD LECTOREM.



HABES heic, LECTOR, secundum volumen operum Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis: quæ ideo dividere placuit in partes duas; ne, quia Leidradum & Amulonem conjungere animus ab initio fuit, conqueri posses ea excedere molem justî voluminis. Damus autem tibi; præter editas jam olim Agobardi lucubrationes, librum adversus quatuor libros divinorum officiorum ab Amalario Abbate compositos, hactenus ineditum, quem nobis suppeditavit vetus codex clarissimi viri Petri Marnæsij Senatoris Gratianopolitani; ceu dictum est in Præfatione ad primum tomum.

Post Agobardum, sequuntur epistolæ

A ij

Leidradi & Amulonis Archiepiscoporum Lugdunensium, inter quos medius sedit Agobardus. Tum opuscula duo adversus doctrinam Gothescalci, quæ Amulonis quoque esse suspicatus est vir harum rerum peritissimus, Iacobus Sirmondus. Addetur dein Liber Flori Diaconi Lugdunensis de electionibus Episcoporum, jam antea à Papirio Massono editus ad calcem Agobardi, ac multoties laudatus à viris eruditissimis.

Accedent Notæ nostræ ad eosdem Scriptores: quas tibi, LECTOR, tam utiles ac proficuas esse cupio, quàm mihi multo labore multaque opera constiterunt. His utere. Et si quid illic repereris memoria dignum, Deo gratias age. Si verò aliter evenerit, ignosce pro tua humanitate. Nam & homo sum, & adhuc juvenis.

Demum, post Notas sequetur Appendix Actorum veterum, quorum in Notis facta mentio est. quam Appendicem spero tibi non ingratham futuram. Vale.